



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput I. Exposita sententia nostra de genere Herodis, hujus Epochas
sigitur, & explanatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83684](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83684)

CAPUT I.

Exposita sententia nostra de genere Herodis, hujus Epocha figitur, & explanatur.

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.
2. Herodes probabiliter fuit Idumæus.
3. Fuisse Ascalonitam etiam probabile est.
4. Benè aliqui vocant simpliciter alienigenam.
5. Probabilius tamen fuit Idumæus.
6. Benè tamen adhuc dici potest Ascalonita.
7. & 8. Solvuntur quædam objectiones.
9. Duplex Epocha Herodiana.
10. Demonstratur prior Epocha.
11. 12. Statuitur altera, ut incerta.
13. usque ad 20. Quo anno, & mense satisfactio cessat.
14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. & seqq. Solvuntur objectiones contra Epocham Herodianam.

I.
Status quæ-
stionis.

CUM natus sit Jesus, teste Evangelista, in diebus Herodis regis; priusquam definiam annum salutiferæ nativitatis, statuere cogitavi Epocham Herodianam: quod nunc faciam, investigato genere ejusdem regis. Non consentiunt Auctores, cujus Herodes fuerit. Genus illum traxisse à primoribus Judæorum ait Nicolaus Damascenus apud Josephum lib. xiv. Antiq. cap. 2. nunc 1. num. 3. Fuisse Idumæum genere scribit eo loci Josephus, necnon lib. 1. de Bello cap. 5. nunc 6. num. 2. Assentiuntur Hegesippus lib. 1. cap. 14. Photius in Biblioth. num. 238. Petavius lib. x. de Doctrina Temp. cap. 5. Natalis Alex. vi. Aet. M. disert. 9. Valesius in Notis ad Euseb. lib. 1. cap. 6. Usserius ad an. P. Jul. 4642. Ezech. Spanhemius in Stemm. Herodis, Cellarius in Hist. Herod. Noldius in Historia Idumæa, Sam. Basnagius in principio Annalium; innumeri denique, cum orthodoxi, tum hæretici. Fuisse Ascalonitam genere, ejusque Patrem Antipatrum postea ab irruentibus idumæis in Idumæam adductum, Ascalone in templo Apollinis functum officio æditi narrat Eusebius lib. 1. cap. 6. ex Epistola Africani ad Aristidem, & S. Epiphanius Hæres. 20. quæ est Herodianorum: idem propugnat Baronius in Apparatu, Sallianus ad annum 389. n. 12. in singulari opusculo de Herode Nicolaus Serarius, nec dissentiant Magdeburgenses Cent. 1. lib. 1. cap. 3. Sive Idumæus fuerit, sive Ascalonita, fuisse alienigenam est communis traditio Patrum, quam defendunt Serrius Exerc. de Christ. 17. Tournelius q. 3. de Incarnat. art. 1. Witasse q. 3. art. 1. cap. 1. Censendum esse indigenam, & Judæum genere contendunt Joseph Scaliger in Animadvers. Eusebianis ad an. 1983. Casaubonus exercit. 1. in Baronium, Torniellus ad annum. 4018. num. 7. Daniel Huertius in Demonstr. Evangelica prop. ix. cap. 4.

& Claudius Frassen disp. 1. art. 1. sect. 3. q. 5. Sententiam nostram proxima thesi explicabimus.

PROPOSITIO I. Herodes alienigena dicendus est: an Idumæus fuerit, an Ascalonita, incertum; videtur tamen probabilior opinio eorum, qui illum existimant Idumæum.

Demonstratur prima pars testimonio Judæorum. In omnibus quippe Hebræo-
rum Chronicis, Regnum Herodianum
appellatur regnum *Profelyorum*: dein-
de Josephus lib. xiv. Antiq. cap. 2. nunc
1. num. 3. ait, Antipatrum fuisse *genere
Idumæum*; fuit autem Antipater pater
Herodis. Ibidem ait Nicolaum Dama-
scenum deducentem Antipatri genus à
primoribus Judæorum, mentiri in gra-
tiam Herodis, quem fortuna ad Hebræo-
rum regnum evexit. De eodem Anti-
patro scribit lib. 1. de Bello cap. 5. nunc
6. num. 2. *Erat autem genere Idumæus,
& nobilitate, & opibus, & alia potestate
gentis suæ princeps.* Probatur præte-
rea traditione Patrum, quorum singuli
Herodem faciunt *alienigenam*, etiam si
non videantur convenire in eo, an fue-
rit Idumæus genere, an Ascalonita; sed
hanc esse nominis, verborumque discre-
pantiam merito asseruit citato loco Peta-
vius. Sive enim dixeris Antipatrum
Ascalone natum, & illinc abductum ab
Idumæis cum Africano, atque Epipha-
nio; sive Idumæum genere, & Ascalone
commoratum, ut dicam paulo infra, per-
sistit sententia Herodem adstruens alieni-
genam, & cohærentia inter eos, quo-
rum aliqui Herodem Ascalonitam appel-
lant, aliqui vero Idumæum. Torniellus
& Frassen respondent non esse atten-
dendam traditionem Patrum, quod nec
de genere Herodis hi data opera pertra-
ctarint, nec hæc quæstio ad fidem perti-
neat. Sed cum omnia argumenta, quæ
adversus traditionem istam proferuntur,
inepta sint, & futilia; intemperanter se-
gerunt, qui putant Patres omnes in erro-
re

re fuiſſe verſatos, maxime cum Patribus iſpis compertum fuerit tradi Judæorum hiſtoriis literisque certiſſimis, *primum alienigenam Herodem regem fuiſſe in gente Judæorum quo tempore Chriſtus natus eſt*, ut inquit Auguſtinus lib. xii, contra Fauſtum cap. 42.

Idumæum dixeris, ſemper alienigena eſt. Igitur Herodes eſt alienigena. Recte Se- rarius de Herode cap. 9. *Modo ex Hebræa gente non fuerit Herodes, cujuſque gen- tis alterius fuerit, alienigena ſemper con- tra Scaligerum intelligitur.*

Quærenti à me tamen, cui parti po- tius adhæream, primum reſpondeo me ſummopere eos commendare, qui vi- tantes ejulcemodi conſictum dicunt ab- ſolute Herodem alienigenam: atque ut id aſſeram, ducor hiſce mōmentis. Pri- mum eſt, quod hac ratione ſtat ſua cui- que Patrum auctoritas. Alterum, quod docti viri ajunt hanc eſſe verborum con- ſictationem, & cum poſſunt facile com- poni Scriptorum diſſidia, non opus eſt ſingula expendere minutatim. Tertium quod Eusebius commendans traditionem Africani, laudat quoque ſententiam Jo- ſephi ſcribentis Herodem paterno gene- re fuiſſe Idumæum. Quartum denique, quod inter Patres præſtantiffimi vocant Herodem alienigenam & profelytum, nihil de ipſius patria definiētes: ut Hie- ronymus lib. i. in Oſeam cap. 3. & lib. iiii. in Matth. cap. 22. S. P. Auguſtinus lib. xviii. de Civit. Dei cap. 45. num. 3. atque lib. xii. contra Fauſtum cap. 42. necnon Cyrillus Alexandrinus lib. viii. contra Julianum pag. 260. quorum teſtimonia magis videntur expedita ad eos revincendos, qui arbitrantur Hero- dem Judæum genere.

Deinde aſſerō videri mihi probabilio- rem ſententiam eorum, qui Herodem exiſtimant Idumæum. Movet autem me præ- primò numerus & eruditio eorum Scri- ptorum, qui ſententiam iſtam propu- gnant. Deinde S. Ambroſius lib. iiii. in Lucam num. 41. ait opinionem alte- ram tradi ab his, qui ſive argumentati, ſive ſimpliciter docentes, ſive vera ad- ſtruentes Herodem fecerunt Aſcaloni- tam: in quæ verba adnotarunt Benedi- ctini, Narratio illa ut prorsus fabuloſa, & commentitia rejicitur, neque omnino probatur Ambroſio. Præterea non con- veniunt Africanus atque Epiphanius, cum unus Hierodolum, ſive æditum Apollinis faciat Antipatrum, alter Hero- dem Antipatri patrem; & aliunde con- ſict patrem Antipatri appellatum fuiſſe Antipatrum Antipam, ex Joſepho lib. xiv. Antiq. cap. 2. nunc 6. quamquam fateor hæc poſſe facile conciliari, ſi An- tipatro ac patri idem tribuamus in tem- plo Apollinis miniſterium, & avo Hero- dis nomen Herodis ſimul atque Antipatri. Verum gratis id fingitur. Inſuper con- ciliari

3. Probatur 2. Pars. Herodem itaque fuiſſe Aſcalonitam probant primò ex Julio Africano, qui in Epift. ad Ariſtidem apud Eusebium inquit, *Herodem Antipatri fuiſſe filium: huic vero Herodem quendam Aſcalonitam unum ex numero ſervorum templi Apolli- nis, quod Aſcalone eſt, fuiſſe patrem; Antipatrum, cum admodum puer à latro- nibus Idumæis captus eſſet, cum iisdem diutius vixiſſe, eoque pater præ inopia pretium pro redemptione illius ſolvere non valeret; moribus poſtea, atque in- ſtitutis Idumæorum innutritum Hircani Judæorum Sacerdotis amicitiam fuiſſe conſecutum.* Idem confirmant ex Epi- phanio eandem hiſtoriam narrantē ad hæ- reſim xx. Herodianorum. Accedit S. Am- broſius lib. iiii. in Lucam num. 41. Ad hæc Herodem Aſcalonitam appellant S. Martyr Juſtinus in Dialogo cum Trypho- ne, Theodoretus dialogo primo, Seve- rus Sulpitius lib. 2. Hiſtoriæ ſacræ, Pho- tius etiam in Bibliotheca num. 76. licet Cod. 238. faciat Idumæum, Eutychius denique Alexandrinus in Annalibus edi- tis à Pocochio. Qui hanc ſententiam propugnant, aſſerunt Herodem ab aliis Patribus dici Idumæum à nativitate, cum ab avorum origine fuerit Aſcalonita. Atque ita ſic ſingulos revocant ad concordiam.

4. Probatur 3. Pars. At fuiſſe Idumæum genere aſſerunt longe plures, quibus adſtipulatur, ut vi- dimus, Flavius Joſephus. Hegesippus pariter lib. i. cap. 14. ſcribit de Antipa- tro: *Is erat Idumæus genere, moribus apud ſuos clarus, non tenuis pecuniæ, & prævalide potentiæ.* Rupertus libro 9. in Gen. cap. 29. *Herodes, inquit, Alienigena, patre Idumæus, matre ortus Hebræi- ca.* Qui autem huic ſententiæ ſubſcribunt, poſſunt reponere ab aliis Patribus Hero- dem dici Aſcalonitam, quia etſi Idumæus genere, quandoque Aſcalonem inhabi- taverit, quæ videtur ſententia Noſiſii diſſert. v. de Epoch. Syromacedonum Tom. ii. pag. 542. Ex his probatur pro- poſitionis noſtræ pars prima: Omnium prorsus conſenſu Herodes vel Idumæus eſt, vel Aſcalonita: aut fuerit Aſcaloni- ta genere, & nativitate Idumæus; aut Idumæus origine, Aſcalonita domicilio atque ſede. At ſive Aſcalonitam, ſive R. P. Berti Theol. Tom. V.

ciliari nulla ratione potest, Antipatrum fuisse non tenuis pecuniæ & prævalidæ potentæ virum, ut cum Josepho scribit Hegesippus; ac non potuisse præ inopia redire ab Idumæis, quemadmodum Epiphanius inquit post Africanum. Item quod de Antipatro scribit Josephus ex hoc redditur probabilius, quod vir miserimus & captivus non adeo facile venisset in amicitiam Hircani summi Judæorum Pontificis, neque is Mariamnem neptem suam formæ venustate insignem, & nobilissimo exortam genere Herodi locasset in matrimonium. Insuper pater Antipatri, auctore ibidem Josepho, tenuit totius Idumææ præfecturam: quomodo ergo Antipater captivus in Idumæam à latronibus adductus est? Ad hæc cum Africanus opinionis suæ neminem alium laudet auctorem, quàm privatam traditionem quorundam, qui se faciebant Domini cognatos, Josephus autem gentis suæ origines, historiasque conscribat, antiquior etiam sit, & ætati Herodis proximior, hujusque avum, parentes, uxores, filios, universamque familiam recenset; huic potius, quam illi videtur fides præstanda. Hæc sunt quæ me permovent, ut Herodem asseram Idumæum.

6.
Adhuc ta-
men benè
dicitur Asca-
lonita.

Non hinc tamen infertur, male à multis Patribus dictum *Ascalonitam*. Enimvero constat ex Josepho citato loco Antipatrem patrem Antipatri fecisse amicitiam cum Arabibus, Gazæis, & Ascalonitis, eosque sibi multis & magnis muneribus conciliavisse. Factum id, uti adnotavit dissert. v. de Epoch. Syromaced. Norisius, ut si forte æmulum invidia excideret à gratia Alexandri regis, posset Ascalonem ad amicam urbem secedere. Valde itaque probabile est majores Herodis quandoque Ascalone fuisse commoratos. Confirmat sententiam suam Norisius, ex quo Herodes ad regnum evehctus, memor pristinæ amicitiae, & paterni domicilii construxerit *Ascalonitis balneas & fontes magnificos, prætereaque peristylia tam opere, quam magnitudine suspicienda*, ut ait Josephus lib. 1. de Bello cap. 16. nunc 21. num. 11. Cæsar etiam Herodis sorori Salomi ædes regias in Ascalone largitus est, ut inquit idem Historicus lib. 2. de Bello cap. 4. nunc 6. num. 3. Igitur Herodes & Idumæus, & Ascalonita recte dicitur; Idumæus genere, Ascalonita domicilio, semper tamen profelytus, atque alienigena.

7.
Obijciunt.

Qui Herodem putant Judæum, opponunt primo testimonia Scriptorum, Ni-

colai Damasceni, de quo supra: ipse Josephus, qui lib. xx. cap. 6. nunc 8. num. 7. sermonem instituens de rixa inter Judæos, & Syros orta Cæsareæ, inquit: *Judæi primas sibi deferri volebant, quod Rex illorum Herodes fuerit Judæus*. Libro etiam xv. Antiq. cap. 14. Judæi ab Herode dicti sunt *viri ejusdem originis*, ὁμογενεῖς. Strabo quoque lib. xvi. Geographiæ Herodem vocat *ἀνέρα ἐπιχθόνιον, virum indigenam*. II. Si Herodes fuisset Idumæus genere, ad solum evechctus studuisset Idumæorum ritus inducere, quemadmodum Hircanus coegerat Idumæos ad Judæorum legem, ac politiam. III. Ex Josepho lib. xv. cap. 7. num. 9. Costobarus Idumæus factus gener regis indignum existimabat Idumæos servire Judæis. Herodes ergo Idumæos ipsos in suam libertatem vindicavisset, si ortus esset eodem genere. IV. Hircanus alienigæ non locasset in matrimonium neptem suam Mariamnem, cum id Exodi xxxiv. 16. & Deut. vii. 3. inhibeat. V. Prætulit Herodes Judæicæ legis zelum maximum, adeo ut Cæsar apud Macrobius lib. 2. Saturn. cap. 4. cum audisset Herodem occidisse filium suum, dixerit, *Melius est Herodis esse porcum, quam filium*. Ejusdem religionis argumentum sunt instauratum ab ipso Templum, sollicitudo ne statua Caji Cæsaris persisteret in sacris ædibus, aliaque hujus generis facinora. VI. Nisi Judæus Herodes fuisset, fallacis convinceretur vaticinium Genesis xxv. 23. *Major serviet minori*, quandoquidem Idumæi originem ducentes ab Elau imperassent Jacobi posteritati. VII. Multo magis corrueret oraculum Jacobæum Gen. xlix. 10. de non auferendo sceptro de Juda usque ad Messiam adventum; nam ablatum foret anno ante Christum 35. dum Herodes regnum Judæorum adeptus est. VIII. Matth. 22. commemorantur Herodiani. Hi existimabant Herodem esse Christum, juxta Epiph. h. 20. Incredibile est autem habitum fuisse, ut Messiam, principem non Judæum. IX. Tandem Idumæi quoque erant Judæi: si ergo Herodes fuit Idumæus, Judæus fuit.

Resp. ad primum nil probare prædictorum Scriptorum testimonia, nam Nico-
laum Damascenum in gratiam Herodis tur-
mentum affirmat Joseph lib. xiv. cap. 1.
num. 3. Ad se ipsum, cæterosque intel-
ligendos, faciem præfert idem Historicus
lib. xiii. cap. 9. num. 1. ubi de Idumæis
ab Hircano devictis inquit: *illi vero pa-
triae suæ amore tum circumcisionem admi-
serunt*

8.
Responde-

ſerunt, tum vitam in cæteris ſimiliter ac Judæi agere conſtituerunt. Atque eo tempore ipſis contigit, ut deinceps Judæi eſſent. Hoc ſenſu dici ἰουδαῖος Judæos, atque Idumæos à Stephano, & à Strabone, compertum eſt. Ergo Judæi, Idumæique idem genus ſunt, quatenus Judæorum nomine veniunt recuti, & ritibus Moysi additi; non quatenus deſignantur eo nomine poſteri Jacob. Alterum diluitur iis, quæ de moribus Herodis narrantur lib. xv. Antiq. cap. 9. num. 6. Cogebatur à receptis moribus decedere & patria inſtituta violare, dum & urbes ambitioſa ſui oſtentione conderet, & templa erigeret, non hæc quidem in Judæa. nam Judæi nunquam tuliffent, cum nobis interdictum ſit ſtatuas & ſimulacra Græcorum more colere, ſed alias regiones & urbes ita inſtruxit & ornavit, Judæis ſemet purgans, quod non ſuapte ſponte, ſed ex juſſa & mandatis hoc faceret, à Cæſare vero & Romanis gratiam iniens, quaſi non adeo patriis moribus, ac eorum honori ſtuderet. Itaque Herodes non induxit ritus Idumæos, ne Judæicum populum adverſum ſe concitaret, & quoniam Hebræorum ſtatutis imbutus veram noverat religionem. Ad tertium reſpondeo Coſtobarum fuiſſe de genere Sacerdotum Coze, quem Deum exiſtimant Idumæi, ſtudiſſe autem, ut Judæorum excuteret jugum, quod arbitrabatur acciſis Herodis viribus facile ſe poſſe gentis Idumææ dominatum adipiſci, inquit Hiſtoricus lib. xv. cap. 7. num. 9. Perperam itaque comparatur proſelyto & regi homo principatum affectans atque idololatra. Ad quartum dico primum, vetitum Judæis jungere connubia cum idololatriſ, ut liquet ex locis objectis; Herodem vero fuiſſe proſelytum: deinde peto à Torniello & Fraſſenio, qui adeo commendant Herodis pro lege zelum, & has argutiunculas objectant, cur Herodes Coſtobaro Idumæo, apud Joſephum cit. loco, Salomen ſororem ſuam nuptui dedit? Ad quintum idem, ac ad ſecundum eſto reſponſum; ne longior ſim narrando ſervitutem qua Herodes Judæos premebat, inſidias quas ſtruxit Ariſtobulo, eadem Hircano illatam, interfectam Mariamnem, aliaque flagitia innumera. In argumentatione ſexta non immorabimur, longo enim tempore poſteri Jacob tenuerunt principatum in filios Eſau, at non ſemper. Quod ſequitur nullius eſt ponderis; tempore quippe Herodis ſceptrum penitus ablatum eſt, & quia ipſe fuit Rex primus alienigena, & quia non permanſit eo regnante Dux de femoribus Judæ, ait Hieronym. lib. 3.

in Matth. cap. 22. Rex de ſemine Judæ, inquit Auguſtinus lib. xii. contra Fauſtum cap. 42. Principes ex tribu Judæ & David qui per ſucceſſores ſceptrum ad regnum Herodis uſque tranſmiſerunt, ſcribit Cyrillus lib. viii. contra Julianum 260. Quo autem pacto ad Herodem uſque ſceptrum permanſerit non ſolum in Judæorum populo, ſed etiam in tribu David, in ſemine Judæ, in duce ex hujus femoribus orto, diximus alibi. Si vero cum viris doctis ſceptrum referas ad ſolum regem genere Judæum; dico ablatum quidem paulo ante Chriſtum, ſed non eſſe vaticinium Jacobæum ad punctum & particulam temporis coarctandum: nam & in magnis rerum eventis ſolet tempus diutinum deſignari, ut dum dicimus adventurum Antichriſtum in fine mundi: & ſignum debet rem, quam promittit, præcedere. Sane Jacobi vaticinium eventum omnium maximum portendebat: & ſceptri Judæici finem tanquam ſignum illius eventui prænuntiabat. Fateor tamen non poſſe falſitatis convinci celeberrimum vaticinium, etiamſi Herodes dicatur indigena, quoniam ſucceſſor ejus Archelaus non obtinuit à Cæſare regii nominis honorem, ut legimus lib. xvii. Antiq. cap. 13. nunc ii. num. 4. Quare ſententia Tornielli, Fraſſenii, & Huetii nullatenus enervat, ut quidam arbitrantur, oraculum Jacobæum: ſed rejicitur à nobis tantummodo tanquam falſa. Ad objectionem octavam dico in ſententia Hieronymi Herodianos fuiſſe Herodis milites, & S. Doctōris lib. iiii. in Matth. pag. 104. Tomi iv. hæc verba legi: Quidam Latinorum ridicule Herodianos putant, qui Herodem Chriſtum eſſe credebant: quod nuſquam omnino legimus. Sed dato id Herodianos credidiſſe; quid mirum hos Herodem pro Meſſia coluiſſe, cum Joſeph Hiſtoricus Meſſiam dixerit Veſpaſianum, aliiſque Simonem Magum, & Doſithæum Samaritas? Adde hoc argumento, ſi quid evinceret, etiam probari Herodem eſſe filium Davidis, atque de Tribu Judæ, quoniam verus Meſſias eſt ſemine David expectabatur. Poſtrema obſectio facillime ex dictis diluitur, quoniam Idumæi erant quidem Judæi religione, ſed genere atque origine ἀλλοφύλοι, proſelyti, alienigenæ; qualem fuiſſe Herodem dixi hæcenus: nunc de Epochæ.

PROPOSITIO II. Duplex diſtinguenda eſt Epochæ Herodiana, quarum prima ſignificanda eſt anno U. C. 714. P. Julianæ 4674. Coſs. Domitio Calvino II. & Aſinio Polliōne: altera anno U. C. 717. P. Jul.

457. Coss. M. Vipsanio Agrippa, & L. Caninio Gallo.

10.
Demonstratur de priori
Epocha.

De priori Epocha consentiunt accuratissimi Chronologi, Petavius lib. x. de Doctrina Temp. Norisius dissert. 2. Cenot. Pisan. dissert. v. de Epoch. Syromaced. & in Paræm. ad Johan. Harduinum, Usserius ad annum 3964. Calvisius in Augusto, Pagius in Apparatu num. 80. Bafnagius ad an. P. Jul. 4711. Auctor Chronologiae ad Biblia Antonii Vitæ, & post doctrinam temporum majori in lumine collocatam, omnes propemodum. Demonstratur autem I. Joseph lib. xiv. Antiq. cap. 14. num. 5. olim cap. 26. inquit de Herode: *Ille regnum suscipit Olympiade centesima nonagesima quarta, Cajo Domitio Calvino iterum, & Cajo Asinio Pollione Consulibus.* Eadem repetit lib. 1. de Bello cap. xiv. n. 4. Perspicuum est autem Consulatum Calvini, & Asinii Pollionis concurrere cum anno Augusti Imperatoris quinto, correctionis Julianæ sexto, P. Jul. 4674. & U. C. 714. nullo Chronologorum dissentiente. II. Utroque loco Josephus narrat Herodem decreto Senatus salutatum regem, quod etiam ad Parthicum bellum expediret ut rex fieret. Atqui Parthi aggressi Syriam ducibus Pacoro regis Parthorum filio, & Labieno, universam subegere anno U. 714. ex Dione Cassio lib. 48. pag. 372. editi Hanoviae, atque ex ipso Josepho lib. xiv. Antiq. cap. 2. Igitur eodem anno U. 714. Herodes à Romanis declaratus est Rex. III. Josephus eo loci scribit occupatam Syriam à Parthis altero anno ab adventu Antonii in Asiam. Antonius vero in Asiam se contulit anno Romæ 713. ex Dione ibidem. Sequenti ergo anno 714. Herodes senatus consulto declaratus est rex Palæstinæ & Judææ. De priori hæc regni Herodianæ Epochâ nulla difficultas superesse videtur, inquit Cl. Pagius in App. num. 50. Similia Norisius de Nummo Herodis Antipæ Tom. 2. pag. 655. Emanuel à Schellstrate dissert. 1. Antiq. Eccl. cap. 2. art. 1. alique complures.

II.
Statuitur altera
Epocha.

Altera Epochâ figenda est in anno, quo captis à Sosio & Herode Jerosolymis, atque interfecto Antigono, ipse Herodes rerum potitus est: quod etsi non omnino sit exploratum, contigisse arbitramur anno U. Romæ 717. Conf. Agrippa, & Gallo. I. Joseph lib. xiv. Antiq. cap. 28. nunc 16. num. 4. ait accidisse Jerosolimitarum cladem M. Agrippa & Caninio Gallo consulibus, olympiade centesima, & octogesima quinta, mense ter-

tio, jejunii solemnitate, tanquam recurrente in idem temporis momento illata à Pompejo Judæis calamitate: nam & eodem die ab illo post septem & viginti annos Hierosolyma capta fuerat. Memoratum consulatum incidere in annum U. 717. commonstrant Fasti. Occupatam à Pompejo Jerosolymam Coss. M. Cicerone, & Antonio, id est, anno Romæ 691. narrat etiam Dio lib. 36. Hinc ergo connumeratis annis 27. pervenitur ad consulatum M. Agrippæ, & Caninii Galii, & duplici nota, Fastorum scilicet, & devictæ à Pompejo Jerosolymæ, constat hanc à Sosio, & Herode fuisse occupatam anno 717. urbis Romæ. II. Consentunt omnes captam Jerosolymam proximo anno post secundam victoriam, quam de Parthis retulit Ventidius. Is Labienum Parthorum ducem priori conflictu devicit anno U. 715. juxta Dionem lib. 48. pag. 380. Id confirmat Cl. Pagius in App. num. 91. & seq. ex quo Ventidius ab Antonio missus fuerit ad reprimendos Parthos post ultimum fœdus initum cum Cesare, ut liquet ex Vellejo cap. 77. libri 2. & Appiano lib. 5. de Bello civ. At de pace pertractatum non est, nisi labente anno 714. ex ipso Dione libro 48. pag. 376. dum Sextus Pompejus occupata Sicilia vastabat Italiam; ideoque non potuit Ventidius Labienum superare, nisi vertente anno U. 715. Atqui secunda victoria Parthiâ, qua P. Ventidius Pacorum in Syria Cyrrhestica prælio vicit, contigit elapso anno post primam à Labieno relatum: non ergo accidit ante annum U. 716. quo etiam anno narratur à Dione libro 49. pag. 404. cumque Chronologis omnibus assentientibus Sosias & Herodes Jerosolymas expugnaverint anno proximo post secundam victoriam P. Ventidii, idque colligatur etiam ex Josepho lib. xiv. Antiq. cap. 27. nunc 15. num. 7. & lib. 1. de Bello cap. 12. nunc 16. num. 6. consequens est Jerosolymitanam cladem consignandam esse anno Romæ 717.

Dixi tamen id omnino exploratum non videri. Doctissimus enim Norisius dissert. 2. Cenotaph. Pisan. contendit captas Jerosolymas anno U. 716. Claudio, & Norbano Coss. quoniam hoc anno consignatur à Dione facta à Sosio & Herode expugnatio lib. 49. pag. 405. ubi etiam Dio addit: *Anno insequenti nihil memoratu dignum à Romanis in Syria actum est.* Addit Scripior Eminentissimus Josephum deceptum anno Sabbatico, qui inchoatus fuit anno U. 716. mense Tisfi, exitique vertente anno 717. ideoque Josephum annum

12.
Altera Epochâ non est omnino explorata.

annum captæ urbis illum putasse, quo exibat annus Sabbaticus, cum revera fuerit A.U. 716. vide Tom. 111. pag. 231. Ita valde probabile est, ex Dione corrigendum esse Josephum. Fateor tamen me in priorem sententiam propendere: primum quia ubique Josephus sibi constans ait Herodem castra prope urbem metatum anno tertio postquam Romæ declaratus rex fuerat, & regnasse annos 34. ab interfecto Antigono, postquam vero rex designatus est à Romanis, 37. Ita lib. 1. de Bello cap. 13. nunc 17. num. 8. & cap. ultimo num. 8. Videtur ergo tres anni inter unam, & alteram Epocham statuendi. Præterea Josephus consignans cladem Jerosolymitanam anno U. 717. diem, mensem, olympiadem, & priorem expugnationem commemorans satis ostendit quantum hac in re fuerit accuratus. Deinde præcedentia argumenta ipsius Dionis testimoniis corroborata aperte evincunt Dionem, non Josephum errasse; quod Toinardus, Pagius, alique viri doctissimi hujus problematis inquisitioni toto ingenii nisu insudantes rem nunc definitam, & in luce positam arbitrantur. Verum tanta est Norisii in Chronologicis difficultatibus enodandis diligentia, tantum argumentorum ejus pondus, & tanta ipsius apud omnes existimatio, ut illius judicium nec possim, nec debeam extrudere; præsertim cum id parum scopo hujus disceptationis afferat adjumenti.

13. PROPOSITIO III. Herodes decessit ante festum Paschatis anni U. C. 751. à palilibus, sive antequam exiret annus U. C. 750. Augusti 41. correctionis Jul. 42. & P. Julianæ 4710. quo autem mense præcise, arduum est definire.

Quo anno factis cessit Herodes. In priori propositionis parte conveniunt recentiores Chronologi, in altera plorimum dissentiunt; nam Herodem satis cessisse circa festum Paschatis anni U. C. 750. putant petavius lib. xi. cap. 1. & lib. xiii. ad annum P. Julianæ 4710. Henschenius & Papebrochius in Apparatu ad Chronolog. Pontificiam, quæ præmittitur Tom. 1. Act. SS. Aprilis, Tillemontius in Hist. Imp. Tom. 1. p. 2. pag. 1041. alique viri doctissimi. Herodem vitam finitum eodem anno U. 750. die 25. Novemb. tenent Usserius ad annum P. Jul. 4710. Schellstratius dissert. 1. Antiq. Eccles. Franciscus Blanchinus in Chronolog. Consul. Tom. 2. Anastasii Prolog. p. 164. Antonius Pagius in App. n. 142. nec dissentit Norisius in dissert. de nummo Herodis Antipæ Tom. 2. p. 654. sed Pagius

hoc asserit ex sententia Usserii, nec aperte negat contigisse mortem Herodis sequenti anno circa festa Paschalia, quod & propugnat Norisius dissert. 2. Cenchaph. Pisan. Tom. 111. pag. 232. & seq. Hi enim duo viri de Chronologia optime meriti certo statuunt Herodis obitum ante festum Paschatis anni Romæ 751. à palilibus, diem ex sententia Usserii duntaxat innuentes. Eo denique anno 751. non vertente 750. ad fata Herodem venisse scribunt loco nuper laudato Norisius, Aegidius Bucherius in Belgio Romano lib. 11. sect. 3. Samuel Basnagius ad annum P. I. 4711. sive 43. Juliano, & U. 751. His positis primam thesiam pariter sic demonstro. I. Herodes regnavit annos ab interfecto Antigono 34. & ex quo salutus fuerat rex à Romanis 37. Scribit enim Josephus lib. 17. Antiq. cap. 10. nunc 8. num. 1. *Quinto post occisum Antipatrum die vitam finivit, cum regnasset post interfectum Antigonom annos triginta quatuor, postquam autem rex à Romanis creatus fuerat, triginta septem.* Et lib. 1. de Bello cap. ult. num. 8. *Postquam autem à filii cæde quinque dies vixisset, mortem obiit, cum scilicet regnasset annos quidem triginta quatuor, ex quo Antigono interfecto regnum potitus est, triginta vero septem ex quo rex à Romanis declaratus est.* At sive supputentur anni 37. ab anno U. 714. quo demonstratum est Herodem acclamatum fuisse regem; sive anni 34. ab anno U. 717. quo cum Sosio Jerosolymas expugnavit, pervenitur ad annum Romæ 751. Hoc ergo anno Herodes magnus interiit. II. Post Herodis obitum ejus filii Romæ apud Augustum de paterna hæreditate judicio disceptarunt: atque hoc judicium habitum Lentulo & Messalino Coss. constat ex quo eidem interfuerit Cajus Cæsar Superiori anno Kalendis Januarii Consul destinatus, nec interesse potuerit Lucius Cæsar. designatus consul anno insequenti, Cons. Augusto x111. & Silvano, id est, anno Romæ 752. à palilibus. Decefferat ergo Herodes ante Azymorum festivitatem Cornelio Lentulo, & Valerio Messalino Consulibus, & anno Urbis 751. Præterea Archelaus successor Herodis, accusantibus fratribus ac primoribus Judæorum ab Augusto Viennam in Galliis relegatus est, *anno regni nono*, ex Josepho lib. 2. de Bello cap. 6. nunc 7. num. 3. sive *anno decimo*, ex eodem Auctore lib. 17. Antiq. cap. 15. nunc 13. num. 4. id est, expleto anno *nono*, & *decimo* inchoato. Pulsus vero in exilium Archelaum *nono* principatus sui exacto anno consentiunt omnes, Eusebius ad annum

num Augusti 56. Beda Tom. 7. p. 195. Philippus Bergomas Historicus Ordinis lib. viii. Supplem. Petavius, Norisius, Pagius, Tirinus, Usserius, Scaliger, omnes. Disceptatur tantum de anno hujusmodi exilii. Et quanquam Ecclesiasticorum Annalium Parens id contigisse contendat anno U. 767 paulo ante mortem Augusti, quem fati cessisse hoc anno duobus Sextis Consulibus, 14. Kalendas Septembris, est doctorum omnium sententia, inquit Fastorum Pater Panvinius lib. 2. Fast. cap. 302. attamen compertum modo est Archelaum pulsus in exilium anno Romæ 760. Cofs. Gretico, & Nerva, septem annis ante Augusti obitum. Relegato enim Archelao Quirinius ejus facultates redegit in censum, anno post Actiacam pugnam trigesimo septimo, ex Josepho lib. xvi. cap. 3. nunc 2. nam 1. Cumque pugna Actiaca contigerit anno Urbis 723. Cofs. Augusto III. & Messala, annus 37. à pugna Actiaca inceptus est tricesima die mensis Augusti anno U. C. 760. Ab hoc ergo anno retro enumeratis integris annis novem, devenitur ad annum U. 751. ideoque hoc anno Herodes magnus obierat. Liqueat autem ex dictis Josephum sibi met per omnia constare, & perperam damnari à multis antilogiæ. IV. Julia Augusti filia in exilium deportata est anno U. C. 752. Cofs. Augusto III. & Silvano, ob turpem vitam, & deditam libidini consuetudinem. At Philippus Tetrarcha filius Herodis Bethsaiidam urbem ornatam splendidissimis ædificiis è nomine filiae Augusti appellavit *Juliam*, non ut quidam autumant in honorem Liviæ Augusti uxoris, urbem *Julia* confundentes cum ædificata ab Herode Antipa fratre Philippi *Julia*. Vide lib. 18. Antiq. cap. 3. nunc 2. num. 1. At nunquam Julia ingrata Cæsari, adulteriisque infamis à Philippo tales habuisset honores. Præcedenti ergo anno Philippus Tetrarchiæ potitus Bethsaiidam ornaverat, & appellaverat *Juliam*.

15. Determinare mortis tempus est difficile.

Ex his constat Herodem vita functum ante Pascha anni Romæ 751. Dixi autem perdifficile esse definire præcisum mortis tempus. Obiisse illum anno 750. ante Pascha. videtur colligi ex eclipsi lunæ hujus mortis prænuncia, ut legitur lib. 17. Antiq. cap. 8. sive 6. n. 4. quam eclipsin Keplerus, & tabulæ Astronomicæ consignant die 13. Martii tribus oris ante solis ortum, apud Bucherium in Belgio Rom. lib. 2. pag. 79. & Petavium lib. xi. de doct. Temp. Tom. 2. pag. 292. Præterea constat ex Dione lib. 55.

pag. 567. Archelaum trans alpes relegatum M. Aemilio Lepido, & L. Arruntio Cofs. id est, anno U. C. 759. ideoque exordium habuit Archelai principatus ab anno 750. Insuper liquet ex nummo Rigordiano, de quo extat erudita dissert. Norisii, Herodem Antipam attigisse Tetrarchiæ suæ annum. 43. extat enim in postica, ΗΡΩΔΗΣ. ΤΕΤΡΑΡΧΗΣ. L. M. *Herodes tetrarcha, anno quadragesimo tertio*. Atqui in altera nummi parte cunctum est nomen Caji Cæsaris, cujus postremus imperii annus est U. C. 793. Ab hoc ergo anno detractis 43. adinvenitur annus Urbis 750. ac primus tetrarchiæ Herodis Antipæ. Obitur nota Rigordii nummum Parisios delatum ab omnibus eruditis judicatum fuisse antiquissimum, & germanum, & Cl. Norisium, qui initio dubitabat num esset adulterinus, deposuisse tandem omnem dubitationem. Legendus Schellstrate diff. 1. p. 32.

Decessisse Herodem eodem anno 750. labente Novembri, conjiciunt alii ex cit. lib. 17. Josephi, ubi narrat post prædictam eclipsin, sumptumque de Matthia, cæterisque seditiosis supplicium, Herodem ingravescente morbo, & poenam impietatis exigente Numine, profectum ultra Jordanem calidis aquis se fovisse apud Caïlirrohen, reversum deinde Hierichuntem, vocatos ad se Judæorum nobiliores conclusisse in circo, aliud testamentum condidisse, mandasse necem Antipatri, & exactis ab hujus morte diebus quinque cessasse fati. Quæ omnia longiori egent tempore, quam quod inter diem 13. Martii, & festum Paschatis intercessit. Præterea Hebraei die septima mensis Cisseu, id est, die 25. Novembris festum celebrant ob mortem Herodis, ut liquet ex סֵפֶר תְּבָאֵי, *Sepher tbaib*, seu ex Volumine jejunii edito Amstelodami anno 1659. ubi cap. 9. pag. 45. legitur בְּשִׁכְעָה בֵּיהּ יוֹמָא טוֹב יוֹם שְׁמֵת הַחֲכָמִים, *Septima die hujus, festiva dies; in hac enim mors Herodis: & habuit odio Herodes sapientes*. Fertur autem volumen illud Jejunii scriptum à focis Rab. Eliezer Ben-Chaninà, qui floruit paulo post obitum ipsius Herodis. Atque hoc argumentum præcipuum est Livellii, Usserii, Emanuelis à Schelestrate, Gravefonii, aliorum quem multorum; quod diximus prorsus non rejici à viris eruditissimis Pagio, & Norisio.

16. Aliqui putant Herodem decessisse labente Novembri.

Demum

17.
Cur potius
Herodes ante
pascha sit
mortuus.

Demum qui putant Herodem decessisse ante festum Paschatis anni Urbis 751. atque Paschate ipso imminente, his momentis ducuntur. Primo melius in hac sententia enumerantur anni Herodis 37. de quibus supra, & triginta quatuor à morte Antigoni; cum hi anni mense Novembri A. 750. vix fuerint inchoati. Deinde si Herodes obiit paulo ante Pascha, fatentibus adversariis, annus tricesimus septimus, ex quo Herodes declaratus fuit rex à Romanis, nec inchoatus erit; quoniam declaratus fuit rex labente autumnio anni U. 714. Obiisse autem paulo ante Pascha, præter consensum omnium omnino veterum Chronologorum, videtur aperte demonstrari ex ipso Josepho, quia lib. 17. Antiq. cap. 11. nunc 9. num. 3. narrat instante festo Azymorum nonnullos Judæorum deservisse Matthiam, aliosque Aquilæ aureæ violatores ab Herode supplicio affectos, *clamoribus, & ejulatu in defunctum regem jactantes convitia*: quod Historicus repetit lib. 2. de Bello cap. 1. & licet Judæi ad tempus animi amaritudinem simulant, perperam tamen asseritur à Novembri ad Pascha conceptum dolorem corde intimo compressisse; præsertim cum Herode mortuo necessaria non fuerit hæc simulatio ad regis indignationem evitandam.

18.
Opinio Auctoris videntur probabilior.

Quamquam vero is ego non sum, qui possim hunc nodum dissolvere, atque ad institutum meum sat est, Herodem vitam functum ante festivitatem Azymorum anni U. 751. quod puto evidentissime demonstratum: fateor tamen videri mihi postremam sententiam probabilior. Ad quam confirmandam tria addam argumenta. Ac primum sit. Joseph citato cap. 2. lib. 2. de Bello narrat Archelaum diebus septem in lugendo patrem consumptis, epulisque feralibus populo exhibitis, indutum candida veste processisse ad Templum folioque aureo residentem cunctis in gratiam populi postulatis annuisse. Deinde celebratis hostiis, invitasse amicos ad epulas: & ea die post meridiem excitatum fletum eorum, qui plorabant damnatos ob Aquilam auream. Deinde (inquit Historicus ibidem n. 2.) *re divina facta cum amicis convivia inibat. Ibi igitur sub vesperam non pauci ex illis, qui novis rebus studebant congregati, quando pro rege in communi luctu esse desierunt, vicem suam lamentari ceperunt eos lugentes quos supplicio affecerat Herodes propter Aquilam à templo auream à templi porta excisam*. Paucis ergo diebus post Herodis funera seditio-

R. P. Berti Theol. Tom. IV.

nis auctores tumultus excitaverunt; cumque id factum sit instante festo Azymorum, quis non videt Herodem paulo ante Pascha obiisse? Accedit argumentum alterum. Ait eo loci Josephus hac seditione irritatum fuisse Archelaum, *quod Romam proficisci omni festinatione pararet*, nimirum eo iter arripuerat Antipas paterni regni competitor. Hinc metu percussus Archelaus immisso tribuno cum cohorte militum studuit cohibere seditionis auctores, deinde irritata multitudo immisit exercitum, pedites per civitatem, equitesque per campum, dum omnes sacris faciendis intenti essent: atque ita compositis rebus, & relicto Philippo, ut simul regias tueretur, suamque domum curaret, *Ipse cum matre, nec non & Popla, & Ptolomæo, & Nicolao amicis ad mare descendit*. Vide & lib. xvii. Antiq. cap. 11. nunc 9. num. 3. At magna profecto esset sollicitudo, & itineris festinatio, discedere Jerosolymis post festum Azymorum, cum pater sex antea mensibus à vita migrasset! Tertium argumentum est hujusmodi. Eodem libro 2. de Bello cap. 1. nunc 2. num. 2. ait Historicus: *Illis autem (Archelao & sociis) Casarea obviam fit Sabinus Syriæ præses, in Judæam ascendens ad pecunias Herodis custodiendas*. Sabinum in itinere properasse & ratio proficiscendi com- monstrat, & tradit idem Historicus lib. xvii. Antiq. citato loco, pagina postrema edit. Amst. 851. At est prorsus incredibile Sabinum à Syria adventasse Casaream duntaxat post Pascha, dum properabat ad custodiendam demortui regis pecuniam. Hæc itaque me in tertiam sententiam magis trahunt.

Si quis ergo hanc præferendam sentit, momentis, quibus aliæ sententiæ nituntur, poterit respondere eclipsim, quæ contigit ante Herodis obitum, fuisse quemdam lunæ pallorem, ut solis deliquium, de quo idem Historicus lib. xiv. Antiq. cap. 21. nunc 12. num. 3. & quod eclipsim solarem non fuisse demonstrat Petavius lib. x. de doctr. Temp. cap. 66. quare illustris Pagius in App. n. 142. ait, ex illa eclipsi annum mortis Herodis certo non detegi. Et revera anno 42. Juliano, quo eclipsi contigit, ante Pascha non attigerat Herodes annum regni trigessimum septimum: quare secundæ sententiæ patroni putant commemorari à Josepho eclipsim aliam, quæ contigit eodem anno Juliano, & Urbis 750. die quinta Septembris, à qua Herodem protraxisse contendunt languidam vitam usque ad Novembris viceſimam quin-

Q9

tam.

19.
Obſcientibus quomodo Respondendum.

tam. De exilio autem Archelai standum sententiæ Josephi, præsertim cum Dio eodem libro 55. pag. 567. Archelaum appellet Herodem Palæstinum, eodemque anno U. C. 759. scribat partem dictionis ejus in publicum redactam, quod factum constat anno insequenti; nisi majoris asserere accusatum quidem Archelaum à fratribus anno 759. sed anno proximo pulsatum in exilium: quo pacto omnia conciliantur. Ad Volumen jejunii, dicendum pugnare cum historia, & nihili esse faciendum, ut censent in Conatu Chronologico Papebrochius, & ad annum, 751. U. C. Samuel Bashagius. Et quidem in Hebræorum Calendario Tom. 2. Bibl. Rabbin. Julii Bartolucci pag. 558. nihil aliud die septima mensis Chisleu adnotatur præter jejunium ob combustum à *Jeojakim* volumen conscriptum à Baruch. Nummus denique Rigordianus aut cufus est cum sententia Romæ jam lata nondum promulgata esset in Galilæa; aut Herodes Antipa in exilium detrusus est, cum vix annum tetrarchiæ 43. attigisset. Verum cum petitem ex hoc nummo argumentum sit talis ponderis, ut etiam Norisius, qui in Cenotaphiis Pisanis tradiderat Herodem decessisse *circa festum paschatis*, Tom. 3. p. 232. in Epist. ad Pagium de eodem nummo differens consignet cum Usserio obitum Herodis in labente autumno anni Urbis 750. Tom. 2. pag. 654. & idem Pagius in App. num. 142. post consignatum cum Usserio Herodis obitum in autumno anni U. 750. non audeat negare quin *anno sequenti mortuus fuerit*: hinc fidenter pronuntio Herodem magnum decessisse ante Pascha anni U. 751. ignorans num eodem anno, num verò autumno elapso migrarit è vita, proferens momenta, ob quæ in priorem sententiam propendeam, & haud denegans propriam miserabilem ignorantiam. Ergo Herodes ante festum Azymorum anni Romæ 751. decessit; quo autem mense, vel die, me fugit.

20.
Objectiones
contra Epo-
cham herod-
ianam.

Adversus statutam Epocham Herodianam obijciunt 1. Herodes, cum illi Antipater Galilæam commisit, *quindecim tantum annos natus erat*, ex Josepho lib. xiv. Antiq. cap. 17. nunc 9. num. 2. commendata autem fuit Galilæa Herodi anno U. 707. Cum ergo vixerit annos septuaginta, ex eodem Historico lib. xvii. cap. 8. nunc 6. n. 1. & lib. 1. de Bello cap. 21. nunc 33. num. 1. sequitur Herodem obiisse anno U. C. 759. Ita Baronius ad annum Christi viii. num. 1. Præterea Archelaus in exilium pulsus est duobus Sextis Cofs. id est, anno U. 767.

paulo ante mortem Augusti. At relegatus ille est nono principatus sui anno, ex Josepho lib. 2. de Bello cap. 6. Igitur anno U. 759. obtinuerat suam, mortuo parente, tetrarchiam. Hæc idem Baronius ad annum Christi xvi. num. 1. Insuper Herodes magnus urbem Cæsaream in Judæa condidit, & splendidissimis ædificiis ornatam dedicavit *anno regni sui duodevigesimo*, ex Jos. lib. xv. Antiq. cap. 9. nunc 5. num. 1. Perfectam Cæsaream an. U. 745. Druso, & Crispino Consulibus demonstrant accurati quidam Chronologi. Si autem annus 28. regni Herodis incidat in annum Urbis 45. trigessimus septimus ac postremus concurret cum anno U. 754. primo Vulgaris æræ, quo anno Herodem obiisse tenent quidam recentiores, statuentes Christi natiuitatem in anno præcedenti 753. Lentulo, & Pisone Cofs. Tandem ex eodem Josepho lib. xv. Antiq. cap. 12. nunc 9. num. 1. liquet annum, quo Herodes condidit Sebattem, fuisse regni sui *decimum tertium*, paulo ante, quam Aelius Gallus in Arabiam felicem suscepit expeditionem. Expeditio Aelli Galli contigit ex Dione anno U. 730. Sebatte ergo condita fuit anno U. 729. Cofs. Augusto IX. & Silano, ut demonstrat Norisius dissert. v. de Epochis Syromacedonum §. 1. Tom. 2. pag. 559. Ab hoc ergo anno Romæ 729. & decimotertio regni Herodis, enumeratis aliis 24. (regnauit enim Herodes annos 37.) inchoabitur trigessimus septimus anno U. C. 753. ut demonstratum quoque est præcedenti argumentatione.

Hæc argumenta, si primum excipias, sententiam nostram confirmant, & miramur summopere esse inter Sodales nostros, qui eadem plurimum urgeant, magni Norisii in nos auctoritatem contorquentes, qua ipsimet penitus profligantur. Ac de exilio Archelai satis dictum supra: siue enim consignetur cum Josepho anno U. 760. siue cum Dione anno præcedenti, utcumque res se habeat, semper Herodes ante festum Azymorum anni U. 751. ut Norisius docet, satis concesserat. Perfectam Cæsaream anno 28. Herodis concedo: sed si annos Herodianos numeras à *nece Antigoni*, & annum regni Herodis 28. refers in annum U. 745. residui sunt vitæ Herodis anni sex tantum, quoniam ab interfecto Antigono non regnavit Herodes annos xxxvi. sed xxx. v. Ergo hoc eodem argumento petito à dedicatione Cæsareæ evincitur obiisse Herodem anno U. 751. quandoquidem sex anni additi anno *vigesimo octavo*

21.
Respondetur 1.

oſtavo complent numerum annorum xxxiv. additi vero anno U. 745. conſtituunt annum Romæ 751. Quod ſi anni regni Herodiani ſupputentur ab anno U. C. 714. quo declaratus fuit rex à Romanis, *Cæſarea perfectæ fuit anno U. Romæ 742.* inquit Noriſius in Par. ad Harduinum Tom. 3. p. 1284. non anno R. 745. Ab anno autem 742. ad annum 751. ſunt anni 9. qui una cum 28. conſtituunt annos regni Herodiani xxxvii. Quocunque ergo te vertas, ex iſtis quoque argumentis in me contortis liquet anno U. 751. Herodem fuiſſe mortuum. Nec aliud ſequitur ex argumento poſtremo. Noriſius diſſert. v. de Epochis Syromaced. Tom. 2. pag. 559. inquit: *Cum vero Joſephus ait Sebaſtem conditam anno xlii. regni Herodis, annos regni, non quidem à Triumviris primum A. U. C. 714. accepti, ſed poſt necem Antigoni legitimi Judæorum regis A. U. 717. ab Herode initi, intelligit.* Bene habet. Enimvero ſi primus annus Herodiani regni inchoatus eſt anno Romæ 717. decimus tertius initium ducit ab anno U. 729. poſtremus vero, & trigefimus quartus ab anno U. C. 750. Mortuus eſt ergo Herodes, etiam juxta ad verſariorum noſtrorum calculos, ante feſtivitatem Azy-morum anni U. DCCLI.

22.
Reſponde-
tur 2.

Itaque ad argumentum depromptum ex lib. xiv. Antiq. cap. 9. quo videtur evinci mortuum Herodem anno Romæ 759. liquet primum inde potius erui quod obierit anno U. 762. quod nemo unquam ſomniavit. Cum enim Herodes vixerit annos 70. ſi annus 707. fuit Herodis decimus quintus, ſuperadditis annis vitæ Herodis lv. pervenimus ad annum 762. Reſpondent ergo doctiſſimi viri Poſſevinus Tom. 1. Bibl. Tom. 2. cap. 6. Langius de annis Chriſti lib. 2. p. 1. cap. 6. Caſaubonus exercit. 1. in Baronium, Keplerus de Anno Nat. Chriſti pag. 52. Noriſius in Cenotaphiis diſſert. 2. cap. 6. Pagius in Apparatu num. 62. Hudſonus Adnot. in hunc locum, alique permulti legendum eſſe 25. xxv. non 25. xv. quæ literæ potuerunt facile ab Amanuenſibus permutari, quamquam à legit etiam Pho-

tius in Bibl. Cod. 238. pag. 970. Et quidem Uſſerius, & Pagius putant Ptolomæum, & Nicolaum Damascenum Joſepho antiquiores, non 25. xv. ſed 25. xxv. ſcripſiſſe. Noriſius verò mendum in Joſephi textum irrepiſſe invictè demonſtrat, quoniam Herodes anno U. C. 687. jam vivebat, cum proximo anno una cum fratre Pherora, qui Herode erat major natus, datus ſit ab Antipatro obſes Aretæ regi Arabum. Herodes ergo anno U. 707. quando illi commiſſa eſt Galilæa, jam annum vigefimum exceſſerat: ideoque in textu Joſephi xxv. non xv. legendum eſt. Atque mire cohærent omnia; ſi enim Herodes anno U. 707. expleverat annos tantum xxv. anno U. 751. inchoaverat annum vitæ ſuæ ſeptuageſimum, quem non expleviſſe conſtat ex Joſepho lib. 1. de Bello cap. 21. nunc 33. num. 1. Quod ſi petas, quomodo Herodes annos natus 25. dici potuerit *adoſcens*, ſive, ut habetur in Græco, *ὄντης*, omnino *juvenis*, reſpondent viri prælaudati, etiam Cæſarem à Salluſtius in Catil. appellatum *adoſcentem*, dum annos natus 27. ſuperavit Q. Catulum in petitione Pontificatus: à Cicerone in Divinat. contra Verrem, M. Cecilium jam ad Prætoris dignitatem evectum: à Tacito lib. 1. An. anno U. 760. Cæſarem Germanicum, cum ageret 29. ætatis annum, itaque adoleſcentia, atque *ὄντης*, etiam adultis juvenibus convenit, imo iis potius, quàm primum exeuntibus à pubertate, & quos accuratiores Scriptores non adoleſcentes dixerunt, ſed egreſſos ex ephebis, aut hircitalios. Tandem ſi in textu Joſephi legendum contendas cum Chriſtiano Noldio in vita Herodum pag. 342. xv. non xxv. dices cum eodem auctore, Herodem vixiſſe annos lx. non lxx. quod non rejicit Schellſtratus pag. 16. Tom. 1. Antiq. Eccl. Verùm ſcribente Joſepho citato loco de Bello, nec non lib. xvi. 1. Ant. cap. 8. nunc 6. num. 1. Herodem vixiſſe annos fere lxx. ejusque invaletudinem nimium fuiſſe gravatam *ſenectute pariter, ac ætate*, non videtur hæc reſponſio alteri præſtenda. Atque hæc de Epochæ Herodiana,